



Q. D. B. V.

64.

DISPUTATIO HISTORICA
DE

SERBIS,

Venedorum Natione vulgò dictis
die Wenden

quam

consensu Spectabilis Philosophicæ Facultatis

PRÆSES

M. GEORGIUS Krüger /
Liberolensis Lufatus.


&

LAURENTIUS Zeke / Rezens. NeoMarch.
RESPONDENS,

publico Philosophorum examini submittent.

horis consuetis. d. Junii 1675.

In Auditorio Philosophorum.



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

33

43

VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EX-
CELLENTISSIMI, CONSULTISSIMI

DNN. DNN.

CONSULES,

atq;

SENATORII ORDINIS AS-
SESSORES

Florentissimæ Reipublicæ

ZITTA VIENSIS

Dnn. Patroni atqve Fautores
multum Honorandi

Vobis, non speciminis ostendendi, nec molestiæ faciendæ
causa; sed restandæ pietatis, ac commendandi mei studio,
istud, quod debuit esse disputatiunculæ inscribo, atqve quâ
possum devotione, offero. Ut igitur conatum meum ma-
gna Benevolentia vestrâ suscipiatis, meisque studiis favea-
tis, est quod maximopere rogo. Deum autem veneror,
Vos ut patriæ, Reiqve publicæ in Pace atqve Sanitate mul-
tos annos florere jubeat.

Devotissimus Servus

Witteb. è muséo
d. 12. Jun. 1675.

Præses.



I. N. J.

VT jucundum & fructuosum veterum historiarum repetere & contemplari: sic arduum & periculosum. Nam (ut rectè innuit Strabo) non solum propter mutationes res ipsæ incertæ sunt; sed etiam propter disidentes Scriptorum opiniones, qui iisdem de rebus non eadem tradiderunt. Quapropter non demonstrationes; sed ut plurimum conjecturas de natione Venedorum, Serbis, rudi quod ajunt, Minervâ, quæ ab historiographis dignè annotata, hîc sumus repetituri. Quod DEUS bene vertat!

PUNCTUM I.

DE SERBORUM DESCRIPTIONE.

S. I. SERBI (a) sunt populi Venedici, qui in Misniâ (b) olim inter Albim atq; Salam (c) fluvios, imò & in ipsâ Bohemiâ (d): hodie verò superstites in Lusatia (e) (vulgò die Wenden dicti) consistunt.

(a) Dicuntur etiam Syrbi, Sorabi & Sorabes passim apud historicos. (b) Avent. l. 4. Boj. annal. p. m. 191. *Interea Venedorum gens Sorabes dicti, qui inter albim & Salam considerant, ubi nunc Moesi nominantur, in fines Saxonum & Turingorum invadunt.* Id ib. *Deinde alia Venedorum nationes ferocissima (aperta enumerasse sufficiat) Sorabes Boëmi, Abrodita federatis &c.* Misnia inde Serbia dicta ut & Sorabia. vid. M. Reinh. Reinac. Steinh. de Misn. orig. p. 88. dicens: *Es hindert gar nicht / daß Dithmarus Bischoff zu Merseburg / welcher unter Kayser Henrico II. gelebet / ansetzet / daß Meissen von den Slaven oder Wenden Lummacia, von den Böhmen Syrbia sey genennet wor-*

A 2

den.

den. Ubi pergit idem autor p. 96. & 97. dictas : In dem ver-
gleichen sich die Scribenten , daß diese **Wenden** in Meissen den be-
sondern Nahmen gehabt/daß sie Sorabi genennet worden &c. Waß
sonsten dieses Volcks für eine Gewalt müsse gewesen seyn / weiiset
das genugsam/daß sie neben Meissen die Oberlausitz/und ferner den
ganzen Reich biß an die Elbe und Saal ein bekommen. Helm.
Chron. Slav. l. 1. c. 2. *Albia in occasum ruens primò impetu*
Boëmos alluit cum Serabis. (c) Micrael. in Pomer. l. 2.
n. 18. Endlich ward die Thür dadurch (sc. Vandalorum emigra-
tionibus, Attilæ savitia, & Germanorum dissensionibus) gar
weit den Slaven und **Wenden** oder der Sarmatischen Nation
auffgethan/und auß denselben setzten sich die Wiltzer und Lütitzer/
oder Lötizer in Pommern und Marck : Die Soraber oder Sirfen
in Meissen und Böhmen/die Obotriter in Meckelenburg : Trith.
Abb. Spanheim. ap. Goldast. l. 2. c. 2. *Slavos Sorabos, qui nunc*
dicuntur Boëmi, Rex Dagobertus bello aggressus vicit, superavit &
Francis subjectos tributarios fecit an. 640. (d) Dubrav. hist. Bo-
hem. l. 1. *Syrbi Sclavorum populi Lusatia inferiori & superiori oc-*
cupata Lufatos se nunc appellant. D. Chytr. Chron. Saxon. l. 1. de
Vandaliâ dicens infert : *In hodiernum usq; diem passim ad ripam*
albis misera gentis Henetae s. Slavicae reliquiae in Lusatia & alib
herent. Ubi incolae se SERBOS linguamq;ve suam Serbska
reez appellant.

§. 2. Quapropter Serbi nec sunt, nec rectè dicun-
tur Vandali, ut multi, quorum error detectus & casti-
gatus (e) sunt persuasi, tum cognatione vocabulo-
rum (f) tum successione Venedorum in sedes Van-
dalorum (g), tum magnorum autoritate virorum. Unde
tam multi errores & historiarum confusiones (b) nati.
Vandali enim populi Germani tum origine; tum ser-
mone, (i) perhibentur.

(e) Vid. M. Henr. Bangert. in not. ad Helmold. chron. Slav.
c. 2. Melchior Goldast Heiminfel. comment. de re Bohem. Rhe-
nan

nan. l. 2. rerum Germ. c. 1. Münst. Cosmograph. c. 4. Franciscus
 Irenius l. 1. exeges. Germ. 33. Flav. Blondell. l. 1. decad. 1. Groppig
 Becan. l. 5. Spangenh. in chron. Saxon. c. 14. & im Adels Spiegel
 p. 1. l. 10. a. 5. verb. Wandeler & und Wenden. Mart. Crom. l. 1. re-
 rum Polon. Mich. Beut. in comment. in Tacit Germ. p. 1. c. 11. (f)
 ut Chytraus ipse fatetur in Vandaliâ chron. Saxon. dicens: *Vici-
 na sunt nomina intrr se Vendi & Vandali.* (g) idem ib. Chytr. fa-
 tetur *Vandali*, dicens, *dicuntur quia post migrationem Vandalorū
 in Gallias, Hispanias, & Africā Venedi eorū terram occuparunt sicut
 postmigrationem Bojorum ex Bohemiâ in Bavariam nihilo minus novi
 incolæ Czechii Slavi veterum incolarum, nomen retinent.* Ita
 Helmold. Chron. Slav. l. 1. c. 2. ubi ergo, dicit *Polonia finem fa-
 cit, pervenitur ad amplissimam Sclavorum provinciam eorum, qui
 antiquitus Vandali, nunc Wintibi s. Vindili appellantur.* Et certo
 respectu quidē magis excusandos, quā accusandos viros hosce
 al. scriptores historiarum satis accuratos esse, putamus. Sed
 pecus illi, qui mentem eorum non assecuti multa de Vandalis
 primis incolis intelligenda, ad Vandalos secundos s. Venedos
 accommodare volunt. (h) Sic gravissimè hallucinatus est Georgig
 Nicolai in Sylloge histor. (quæ cum præfat. Joh. Dresseri Lipsiæ
 edita,) dicens: *Umb diese Zeit 245. soll der Wenden (Wandaler de-
 bebat dicere) König Gorharus in Pommern regieret haben. Wie
 Panthal. meldet. item anno 161. post Ch. nat: die Wenden nehmen
 Merseburg der Römer Bestung ein: quod an de Venedis intelli-
 gi queat, judicent alii: nos valdè dubitamus.* (i)
 Plin. l. 4. c. 14. *Genera Germanorum V. Vindelici (Vandali) quo-
 rum pars Burgundiones, Varini, Carini, Gottones: Ingevones & c.
 Istævones & c. Hermiones & Pancini. Ut Plinio æqualis (teste & ci-
 tante Bangert. in Helmold, not. c. 2.) sic eidem in hoc argumento
 ἐμὸψηϕ Tacitus scriptor verus & acutus Marsos, Gambrinios
 & Sutvos, ita & Vandalos antiquissimos Germanie populos facit.
 Lingua etiam eadem cum cæteris Germanis usos esse disertè testatur
 Procop. l. 1.*

§. 3. Nec Serbi (vulgò *Wendi dicti*) confundendi sunt
 cum Wendis specialissimè & κατ' ἐξοχήν appellatis (k) qui
 A 3 inter

inter Danos & Magapolitanos ad Mare Balthicum sedes suas habuere. Hinc Principes Mechelburgici καὶ ἐξοχὴν olim die Herrn der Wenden (*qui tamen sorabum nunquam fuerunt*) sunt appellati: quo titulo hodiernum Rex Daniæ Invictissimus, & Serenissimus Elector Brandenburgicus coronantur.

(k) Multas Venedorum species recenset Helmold. l. 1. c. 2. chron. Slav. Pomeranos, Wilzos, s. Wilfos die Wilzer-Wenden/Lutitios, Circipanos, Kisfinos, Redarios die Roder Wenden, Obotritos, Rugos, Sorabos, die Zorber-Wenden &c. Bangert. ubi in not. annotavit eleganter hunc in modum differens: *Quamquam enim omnes illæ nationes origine Venedicæ essent, quæ in terras Vandalorum successissent: tamen sub sequentibus seculis obtinuit usus, ut soli Obotritarum & Wagriorum reguli aut principes καὶ ἐξοχὴν Wendi, die Herren der Wenden dicerentur.*

§. 4. Non autem asserimus nos, omnes in universum, qui Lufati & Serbi dicuntur, etiam origine, aut natione esse Sorabos aut Venedos. Siquidem Germanos veteres incolas (*qui ad similitudinem Vandalorum in Pomerania (l) & Bojorum in Bojemiâ linguam suam non penitus dediticere, sed faventibus seculis denuò eam magis extolnere*) ut & Lufikos (m) aliosque, quos omnes præcisè ab invicem distinguere hodiè nec necessarium, nec possibile, (*omnes enim Lufati natione Germani*), iisdem admixtos nulli dubitamus.

(l) Legatur hæc de materia Micræl. in Pom. l. 2. inter alia discurrens: *So ist die Wendische Sprache hier ins Land kommen/ daß die Deutsche niemals drauß gehoben ist. Ja ich kan nirgends finden/ daß die Vandalische Städte an der See jemals ganz Slavonisch oder Wendisch gewesen wären / und den Gebrauch der Deutschen Sprache nicht beybehaltē hätten.* (m) Lufikorū meminit Witik, scriptor. Saxon. qui temporibus Ottonis floruit. l. 2. annal. Saxon. dicens: *Eo quod tempore (Ottonis scil.) Gero præses Slavos, qui dicuntur Lufiki, potentissimè vicit.* Melch. Goldast. Heimensfeld. de reb. Bohem. l. 1. c. 8. *Idem casus qui Marcomannos & Qvados, etiam Semnones* (*qui ut ex Vet. Geograph. Cluv. l. 3. introd.*

trod. in Geograph. ad ripam Oderæ in Marchiâ & in Lusatiâ sedes habuere.) excepit. Nam Sorabi & Lusici (qui & Lutici, Lutitii, Lucici) gentes Sarmatica s. pulsæ s. quod vero similis suba-
Elis semnonibus, eam regionem occuparunt. Dubravius vocat Syrbos.
Micrael, l. 2. n. 39. Mieska ein König der Luzikauer / welche weiter im Lande wohnten / etwa da nun die Lausitzer noch von den alten Loizern übrig.

PUNCTUM II.

DE ORIGINE SERBORUM.

§. 1. Explicata jam populi Lusatici descriptione, sequitur, ut quædam etiam de Origine ejusdem dicam. Sicuti autem perdifficile & ferè impossibile est (n) primam eamque distinctam populorum originem revocare, nisi fabulas atq; res incertas enumerare velis; quales Dubravius, atque Æneas Sylvius de Boëmis, productas (o) refutarunt: ita de natione Sorabicâ quantum è fide dignis historiis colligere possumus, hîc tantùm breviter sumus repetituri.

(n) Æn. Sylv. de Bohem. c. 2. *Nondum ego quempiam legi autorem, cui fides habenda sit, qui tam altè gentis initium dederit, Ebraeos exceptos omnium mortalium primos.* (o) Idem Æneas pergit ib. dicens: *Multi è Germanis satis se nobiles arbitrantur ex Romanis ortos, Romani è Teucris ducere originem gloriosissimè putant. Franci, qui & Germani, Trojanum se sanguinem esse dixerunt. Eadem Britannis gloria est, qui Brutum quendam exilio præfectum generi suo principium dedisse affirmant. At Boëmi longè altiùs orti ab ipsâ confusionis turri se missos esse jaçant, nudos in cæsiffe & c. glandibus vixisse & c. c. 2. 3. & 4. Cui adstipulatur Dubrav. histor. Bohem. l. 1. dicens: *Quid fabulosius, quam originem velle referre ad divisionem, confusionemq; linguarum, quæ tunc facta fuisse dicitur, cum in solo Babilonico turris edificaretur. Nam si vetus origo placuit, utiq; turri illa vetustior Adamus omnium gentium communis parens erit.**

§. 2, Est

§. 2. Est autem extra omnem controversiæ aleam positum Serbos non esse nationem novam ; sed cum aliis Venedicis s. Slavicis populis à veteribus Sarmatis (p) ortam ; id quod eorum lingua & mores satis docent, Unde & Plinius Geographorum antiquissimus SERBORUM quorundam mentionem (q) facit, eisdemque ad paludem Mæotin, ubi & ipse Ptolomæus (r) Sarmatis, sedes antiquas assignat. Inde Sorabos nostros cum conterraneis suis tanquam è communi patriâ venisse, certum est.

(p) Vid. Helmold. suprâ cit. Slav. chron. l. i. c. 2. Micræl. in Pomer. Crom. de reb. Polon. l. i. Marth. à Michau de Sarmat. descript. Alexander. Gangu. in Sauromat. &c. (q) Plinius qui seculo i. post natum Christum floruit l. 6. c. 7. infert : *Inde Mæotis lacus in Europâ dictus. A Cimerio accolunt Mæotici, Serbi, Vali, Arechi, Zingi. Deinde Tannim amnem gemino ore influentem incolunt Sarmate Medorum, ut ferunt soboles, & ipsi in multa genera divisi* conf. l. 4. c. 13. (r) Ptolomæus Plinio antiquior citat. à Dubr. l. i. histor. Bohem. ita : *Sarmatia, quam Ptolomæus ab ortu lacu Mæotide & Tanai, ab occasu Istula, à septentrione oceano Sarmatico, à meridiè Carpathiis montibus terminat, omnium gentium, quos nunc Slavinos vocant, quondam communis patria fuit.*

§. 3. Quando verò præcisè, & quomodo adventus eorum in Germaniam sit factus, id ob varietatem autorum (s) determinari non potest, nec opus est. Omnium tamen optima & probabilissima sententia videtur eorum, qui putant, eos circa tempora Attilæ (t) Vandaliâ à suis incolis desertâ, Germania per Hunnos vastata, & reliquis in ter se dissidentibus ; non quidem simul & semel, sed successivè (u) in Germaniam immigrasse.

(s) alii enim hoc, alii aliud tempus adventus illorum ponunt. Flav. Blondel. refert ad annum 600. l. i. de molin. Imper. Rom. d. 8. Hagek. Chron. Bohem. l. i. fol. i. Barthold. Pontan. à Braitenberg. in Boh. piâ an ann. 644. Setf. Calv. Chron. ap. ad. ann

ann. 645. Johannes Curio in Chron. l. 3. ad ann. 450. Spangeb. in chron. Saxon. c. 50. ad 451. alii aliter. (1) Optimis quibusque probalis hæc est sententia Goldast. l. 1. c. 9. Mart. Crom. rerum Polon. l. 1. cap. ult. Spangenb. in chron. Saxon. c. 50. 51. Jacob. August. Thuan. hist. suorum temp. l. 56. Neugeb. l. 1. hist. Polon. f. 9. Joach. Cur. annal. subf. Henric. Bangert. in not. ad Helmold, chron. Slav. l. 1. c. 2. (u) Miscral. l. 2. Pommerland c. 12. & 37. Wenn man aber fraget / zu welcher Zeit doch eigentlich die Wenden in das Land kommen / so antworte ich / daß keine gewisse Zeit / darin solches geschehen / könne gegeben werden: weil die Wenden nicht eben mit Gewalt herein brachen; sondern allgemach sich mit den Pommeren vermischeten / eben wie sie mit den Preussen gethan haben: und insonderheit / da diese Länder von Einwohnern leer waren / haben sie gut machen gehabt / und ist eine Slavonische / und Wendische Familie nach der andern herein gegangen.

S. 4. Cæterum quod videntur (x) quibusdam Sorbi nostri è Serbia Bosnensi descendisse, indeque nomen suum derivasse, nobis lusus vocabulorum videtur (y). Multò minus credimus, Sorabos omnes (z) esse colonos per Czechum ducem Bohemiæ in hæc terras (aa) introductos.

(x) David Chytr. Chron. Saxon. in Vandaliâ. Heint. Goldast. Heiminsf. l. 1. c. 8. M. Rein. Reinecc. Steinh. von Meißner Herkommen p. 97. Loquimur autem de Servis Bosnensibus, quorum mentionem facit Chytr. l. c. p. 32. Cluv. in Geograph. l. 4. p. 418. qui cum nostris Serbis nec sunt, nec fuerunt iidem. (y) Nam SERVI nomen suum à Servis Sarmatarum indomitæ atque rebellantibus accepisse leguntur; de quibus totam historiam enarrat Avent. l. 2. anal. Bojor. quos Imperator in Slavoniâ domuerit, atque in Pannoniam transtulerit ulteriorem. At vero SERBOS nostros nomen suum ex ipsâ Sarmatiâ (quod nobis David Chytr. l. c. & Joh. Curæus in annal. Siles. suppeditant) accepisse hæcenus non dubitamus: Minus obstante, etsi Paul. Langius in Chron. Citiz. vocem Soraborum ex Roswito denominatione Germanicam faciat. Nam illud non probavit, nec satis certus (se ipse fatente) annotavit. Nec multum de etymologiâ vocis sumus solliciti (z) concedimus (si historia de Czecho certa) de Boëmis: ponimꝰ de Transalbinis & Lusatis superioribus,

B

ribus,

ribus, quia linguas Croaticam & Lufaticam ferè convenire sumus
persvasi: negamus de Lufatis inferioribus, argumento à lingvæ (*de
quâ mox*) & morum diversitate sumto. (*aa*) Joach. Curæus in an-
“nal. Siles. dicit: Czechus immisit & similiter novos colonos in illum
“tractum, qui est inter albim atque salam, qui dicti sunt Sorabi, quod
“ipsum nomen est à Sarmatis; alios qq. misit ad mare Balthicum
“Windos dictos &c.

PUNCTUM III.

DE LINGVA SERBORUM.

§. 1. Obiter etiam de Sermone hujus nationis, non
quidem quoad ætatem primam; sed nostram, quædam sub-
jicere placet. Non autem est lingua nova (*bb*) aut vulgò
ut existimatur, ex variis lingvis mixta. Mixtus quidem po-
pulus Lufatiæ, uti Boemniæ & Bavariæ (*cc*); sed lingvæ non
sunt mixtæ (*dd*).

(*bb*) quales Anglica atque Gallica habentur ex diversis popu-
lis diversæ lingvæ mixtæ. (*cc*) Æn. Sylv. in Germ. c. 47. *Et pauci
sunt inter Boëmos, saltem nobiles, qui non utramq; noverint linguam:
& undiq; cincta est terra Teutonicis plebibus.* Avent. annal. Boj. l. 3.
*Ad Dravig, Savig, fontes adhuc lingua Veneda est in usu: sermo Bojus
in urbibus & castellis invaluit.* (*dd*) Nec obstat nobis unum atque
alterum exemplum hominis vitiosè loquentis, nec unum atque
alterum vocabulum immixtum: hæc enim omnia ad novam ali-
quam linguam mixtam sufficere, nemo nobis facile concedet.

§. 2. Habet etiam lingua Sorbica magnam cum Po-
lonicâ atque Bohemica aliisque lingvis convenientiam (*ee*);
ideoque in communi patriâ lingvæ Sarmaticæ dialectum
fuisse non negamus; sed hodiè respectu Polonicæ atque Bo-
hemicæ diversa lingua dici meretur. Siquidem non
modò quoad materiam; sed etiam quoad formam præpri-
mis (*ff*) ab illis recedit,

(*ee*) ut

(ee) Ut lingvæ orientales Ebræa, Chaldæa, Arabica &c. aut Septentrionales Germanica, Svecica, Anglica : aut occidentales, Hispanica, Italica, Gallica &c. magnam quidem sive harmoniam inter sese habere dicuntur; propterea tamen non dialecti (si accuratè loqui velimus); sed lingvæ diversæ potius dicuntur: sic quoque de lingvis Sarmaticis, Moscoviticâ, Polonica, Slavonicâ, Bohemica atq; Vandalicâ aut (si placeat) Sorabica judicandum esse, putamus. (ff) caret lingua Lufatorum, peregrinis ineffabili multotum consonantium concursu, hinc eam omnium Slavicarum lingvarum facillimam judicamus. Cui accedit analogia Grammatica, quæ ratione constructionum, in verbis temporum atq; modorum formatione, quàm proximè ad Germanismum accedit.

§. 3. Præterea ipsa Lufatorum lingua suis (gg), propriis dialectis gaudet: Atque Lufatiæ quidem superioris Idiotismus propius accedit ad Slavonismum; inferioris verò ad Windismum, tantò discrepantes, ut incolæ vix se invicem intelligere queant non attendentes.

(gg) alia enim dialectus (u superiores mitt m) Lubenensis, alia Gubenensis, alia Cotbusiensis, alia alius dioceseos, quarum tamen omnium Cotbusiensem (in Lufatiâ inferiori) dialectum in sacris peragendis usitatam plerunqve, experientia docet.

§. 4. Cæterùm hodie & nominis & lingvæ usus apud Misnenses ut & Metropolitanos Lufatiæ evanuit; sed olim magna (non in omnibus præcisè Serbicæ; sed) Sarmaticæ s. Slavicæ (hb) amplitudo. Hodie nescio quâ (præcisè Serbica lingua) quasi *аѣтѣа ѣѣа* multis invisâ. Sed olim tanta ejus & dignitas & necessitas, ut & Imperator ipse Otto M. eidem studuerit, (ii) & Leges Imperatoricæ (aureæ bullæ) ejus notitiam SS. Imperiû Romani Archiprincipibus necessariam tradiderint (kk).

ut taceam ejus quasi sororis usum in sacris admini-
strandis (ll) contra morem à Pontifice Romano conces-
sum fuisse. Hinc versio Scripturæ S. (mm) Slavica
nata.

(bb) Micrael. in Pom. l. 2. c. 4. Wir wissen / daß die Sar-
matische Nation allgemehlig so mächtig worden / daß sie nicht al-
lein das grosse und kleine Neussen / sondern auch das ganze Bur-
gund-land / da izunder die Polen wohnen / und ferner die Wala-
chen / Bulgaren / Servey / Podolien / Littaunen / Croatiam / Dalma-
tiam / Mähren / Böhmen / Schlesien / und die ganze Windische
Marck Illyricum mit ihrer Sprache erfüllet. Und man kan
auch nicht leugnen / daß sie auch in Griechen-land überhand genom-
men / und allda mächtig worden seyn. Wie denn noch heutiges
Tages die Wendische Sprache allda allenthalben / und inson-
derheit an der Ottomannischen Porte im Gebrauch seyn sollte.
(ii) Wittik, anal. Saxon. l. 2. *Præterea* (præter alias scientias)
Romana lingua Slavonicâq; loqui sciebat (Otto Magnus). (kk)
Vid. Goldast. in Comment. de regn. Bohem. l. 4. c. 16. ubi & alii
autores citantur. (ll) Æneas Sylv. hist. Bohem. c. 13. histori-
am narrat. Conf. David. Chytr. Chron. Saxon. in Vandal. p. 37. &
Goldast l. c. 1. 5. c. 2. ubi alicujus notatu digna Bernhardi scri-
ptoris verba citantur sequentia: *Quidam Sclavus ab Istria & Dal-
matia partibus nomine Methodius venit, qui adinvenit Slavinas li-
teras & Sclavicè celebravit Divinum officium, & vilescere fecit Lati-
num.* (mm) quæ adscribitur Hieronymo, rectiùs Methodio
aut Cyrillo Moraviæ Episcopis (sit penes historicos fides). Vid.
Goldast. sæpe laudatus l. c.

PUNCTUM VI.

DE MORIBUS SERBORUM.

§. 1. Mores Sorabici populi primi nobis sunt in-
cogniti. Media vero ætas, quæ eosdem vidit, magis
generaliter, quam specialiter mores eorum depinxit ut
migra.

migrationibus (nn) studiosos, miseriae & multi labori
(oo) patientes, libertatis patriae tenaces, erga hostes
suos saevientes; sed in domesticos fideles, modestos (pp)
& conscientiosos.

(nn) Dubrav. histor. Bohem. l. 1. *Vetus mos erat omnium
Sarmatarum Pomponio Mela autore non statis perpetuisq; uti sedi-
bus, sed ut invitavere pabula, vel ut cedens & sequens hostis exi-
gebat: ita res opesq; secum trahere solebant, castra semper habi-
tantes, bellatores liberi.* (oo) Wittik. l. 2. annal. Saxon. *Sae-
pius exercitus eos laesit in multis afflixit, & in summam calamitatem
perduxit. Illi vero uibilo minus bellum elegerunt, omnem miseri-
am care libertati postponentes. Est namq; bujusmodi genus durum
& laboris patiens victui levisimo assuetum, & quae nostris gravi one-
ri esse solet, Slavi pro quadam voluptate ducunt. Transeant sane
dies plurimi his pro gloria magno, latoq; imperio: illis pro libertate
ac ultima servitute varie certantibus.* (pp) de saevitia eorum
nemo dubitabit. Sed pro domesticis moribus sufficiat nobis u-
nicus Micraëlius, qui in Pomeran. l. 2. ita discurret. Und weil
die Wenden dessen Lob haben / daß sie Sittsame und Gewissen-
hafte Leute sind/wie die Heneter also Philippus Melancthon be-
schreibet/so hat sich ihr Wandel selbst andern Völkern angenehm
gemacht/und ist ihre Sprache bald weit außgekommen.

§. 2. Hodiernos vero mores, cum notissimi, non
opus est multis recensere. Neminem latebit, qui Lu-
satiam lustravit, civitates ut plurimum civilibus, iisque
Germanicis; rusticos autem rusticis partim Germanicis
(qq) partim propriis suis (rr) iisque immutabilibus mo-
ribus gaudere. Atq; ut multa paucis dicamus: Est natio
hilaris, affectu vehementiori praedita; erga hostem quidem
immisericordiam; erga amicū v. (ss) plus quam fidelem
amicitiam exercens, laboriosa, simplex (tt) religio-
sa (uu).

(qq) Simplici victu & amictu sunt contenti, ideoq; homi-
nem insolitis vestibus (allmode) ingredientem mirantur & ut su-

perbum averfantur. (rr) Constat, eos Germani, qui linguam Slavonicam (*libenter enim loquuntur*) nescierit, conversationem non curare, putantes se negligi ab eo: contra crebrioribus inter se conventiculis studere, Xenodochia præcipuè diebus festis frequentare, ibidemq; poculo hilaritatis exhausto devotè (prout externus habitus prodit) pro ratione temporis hymnos sacros, ex iisque Symbolum Apostolicum & Gloria illud Angelorum cantando exercere: post (juniores) jubilando, ovando, vociferando, choreisque ducendis ad satietatem usque totam ferè noctem consumere: (ss) hospitem si quem linguæ suæ gnarum, & loquacem acceperint, hospitalitate plusquam fideli suscipere, quasi manibus portaturos: interea laboris & miseriæ esse patientes, ut & noctè parùm quiescant. (tt) Simpliciter antiquam suam produnt, dum cultum literarum parùm curant (quod vitium, in summo tamen gradu, tradit de antiquis conterraneis eorum Moschis Cluv. in Geogr. c.26. dicens: *In scholis legere duntaxat & scribere docentur pueri, nec Academia, aut collegia in universo extant Imperio Moscovitico*) appellantes eum satis doctum, qui legere & scribere sciverit; qui verò lingua vernacula benè concionaverit, doctissimum. Cætera mirantur, aut pro superfluo habentes, aut malè interpretantes. (uu) Theologos s. concionatores maximi pendent suos, & omnia eorum dicta (ut par est) pro verbo DEI suscipiunt, frequentaturi templum elegantibus phrasibus (frequentare domum DEI, aut ad verbum, DEI &c.) utuntur. Cæterum omnes libros expressos pro verbo DEI habent, quasi nullum aliud studium, nisi quo ad salutem promovemur, esset putantes. Hinc quandocumque aliquem legentem aut scribentem viderint, eum concionem meditari existimant.

PUNCTUM V.

DE RELIGIONE SERBORUM.

§. 1. Religionem paucis attendentes distingvimus inter Sorabos Paganos Syncretistas s. Christianos primos & Evangelicos s. Christianos secundos. Ethnici πολυθεῖας illius Græcicæ quidem participes non sunt facti; interim tamen ut reliqui pagani præter Deum verum (xx) dæmonem, nymphas, Sylvas:

Sylvasque (yy) teste Dubravio: coluisse, iisque sacrificasse leguntur.

(xx) Deum verum sua lingua, **Beli bogh** h. e. album Deum: daemone **Zarni bogh** h. e. nigrum Deum (ut Micræl. annotavit in Pom. l. 2. c. 76.) appellarunt. (yy) Dubrav. hist. Bohem. l. 1. ex Procop. hist. Gotica: *Habent præterea Slavini lege cautum à majoribusq; traditum, ut inter numerum deorum deum unum illum, qui sit fulminis fabricator, dominum omnium rerum, ac solum Deum esse credant, illiq; bestias ac ejus generis alia mactent &c. hinc pro incolumitate sacrificant, habentq; persuasum, per sacrificia salutem sibi redemptum iri.*

§. 2. Saxonibus autem Christianis, hi quoq; seculo nono post N. C. ad Christianismum pervenere. Sed quia iisdem S. Viti legenda prædicaretur ad superstitionem relabascens memorem S. Viti primò in idolo, ut deum; deinde, pro vitio seculi, destructo idolo, ut patronum, semper sancte (zz) coluere.

(zz) Hinc putat Dubravius, *nam esse formulam Slavonicam, VITEL, VITEL qua excipere solent, hospitem aut amicum Slavi, quasi nomine S. Viti eidem gratulantes.* hist. Boh. l. 1. p. 7. Cæterum de Viti idololatria & superstitione ut & aliis idolis Slavicis plura differit Helmold. Chron. Slav. c. 52. 53. inter alia dicens: *Inter multiformia Slavorum numina præpollerit Zvante Wit deus terræ Rugianorum, utpote efficacior in responsis, cujus respectu ceteros semi deos æstimabant.*

§. 3. Sed deniq; v. hæc natio inter alias ferè prima fuit, quæ è tenebris Papatus Cymmeriis lucem Evangelii conspexit (aaa): atq; hodie non nisi purum Evangelium Augustana Confessione omnibus sordibus papisticis liberatum audit: quod DEUS conservet!

(aaa) Intendimus ad tempora Husitarum & Dn. Lutheri, ad seculum 16. & 17. PUNCT. VI.

DE REPUBLICA.

§. 1. Ut Sorabes omnis miseriæ atq; laboris patientes: sic cujuscunq; servitutis (bbb) impatientes cum omnibus Slavinis populis. Inde semper omnibus modis eò laborarunt à primâ astate, ut

te, ut

ut Monarchiam aliorumque dominatum in se fugerent: contra v. in (ccc) democratia s. aristocratia viverent.

(bbb) contra naturam quasi iis erat, utpote sanguine liberō natis, libereque educatis servire, aliusque imperio subditos esse. Quæ etiam maxima causa fuit, ob quam tam sæpe fidem Deo atque Imperatoribus datam resciderunt, sibique & suis posteris fatum in felix procrearunt. Vid. Micræl. in Pom. l. 2. n. 5. & 11. & c. Bangert. ap. Helmold. l. 1. c. 11. *Erant Wagrii vetustæ superstitionis & avitæ libertatis tenacissimi, nec ullam occasionem, qua excuterent jugum Romanorum, negligebant.* (ccc) Dubrav. hist. Boh. l. 1. ex Procopio dicit: *Slavinorum nationes non ab uno aliquo homine regi; sed jam inde ab antiquo plebeia communiq; libertate vivere, & de rebus omnibus, quæ cogitatu, factuve graviore occurrunt, communiter deliberare.* vid. Micræl. l. c. l. 2. c. 31.

§. 2. Denique S. Romano Imperio ad Saxones translato ab Imperatoribus Henrico Aucupe & Ottone M. funditus depressi Imperioque Romano incorporati (ddd) fuerunt. Ubi Gero primus Marchiæ Lusaticæ Administrator prædicatur. (eee)

(ddd) Avent. l. 4. Helm. Chron. Slav. c. 8. n. 4. Goldst. l. 2. c. 3. dicit: *Circumferuntur versus antiqui ab incerto quodam Germano Poëta imagini Henrici hujus suscripti, in quæ sub regis persona legitur.*

Wend/dân/Sorb/Böhmen/Marcomann/
Delmant/macht ich mir unterthan.

(eee) Vid. Wittik. supra cit. l. 2. Ubi Meibom. annotavit dicens: *Circumferuntur Rythmi, qui idem de Gerone testantur:*

Zu laußnitz erster Fürst was ich
Dreissig Wendische Herren tödtet ich.

§. 2. Quod v. Magistratum SS. Romani imperii subordinatū Lusatiæ attinet, ejus toties mutatio facta, ut hinc vix recenseri queat: modo n. reges Bohemorum, modò Marchiones Misnenses, modo Brandenburgenses eam obtinuerunt. Donec ultima ætate per Dei Gratiam possessio ejus ad Serenissimam Domum Saxoniam pervenit. Uti jam palam est. Et hinc persistimus.

DEum Opt. Ter Max. devotis suspiriis rogamus, ut Rutæ Saxonice Vigorem, Domusque Celsissimæ Florem, donec cælum ruat, patriæ nostræ servare velit!

Amen.

